

8#568103

THE BIBLE
In the
Ecclesiastes
3 ~ 4

BX1935

.B473

1790

v.3-4

c.1

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS,

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

CONSULTORIS REGII,

ET IN TAURINENSI ATHENÆO

DECRETALIUM PROFESSORIS

C O M M E N T A R I A

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM.

TOMUS TERTIUS.

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUE. O LEON
CAPILLA ALFONSINA. BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Ref. 15 MICROFILMADO 10/2/82



46564

M A T R I T I:

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI DE URRUTIA.
ANNO MDCCXC.

Prostant apud Viduam Bernardi Alverà, & Filios, in via vulgè
Carrera de S. Gerónimo.

DE CONJUGIORUM JURIBUS

TRACTATIO,

Ad quam commoda methodo

QUARTUS GREGORII IX. DECRETALIUM LIBER

EXIGITUR.

OPTANDUM equidem est ingenioso viro , egregiaeque alicujus disciplinæ cultori , ut illi , cui præcipue nomen dederit , doctrinæ nonnullas bonas artes adjiciat , ut eo sibi cultior , ac rei publicæ utilior videatur , quo plura sibi decora comparaverit ; ut tamen id ex voto plenè , cumulateque adsequatur , aut raro evenit , aut nunquam , propterea quod & humani ingenii infirmitas , & variæ humanæ vitæ angustis finibus circumscripta casus , & uniuscujusque scientiæ latè diffusa amplitudo , neminem ferè ita patiatur ornari , vix quisquam post longos nec intermissos labores , vigiliaisque in una perfectus esse scientia possit . Cœterum quædam identidem occurrent argumenta , in quibus tot , tanteque sunt aut necessariæ , aut opportunaæ animadversiones habendæ , ut bellè nonnisi ab eo tractari queant , qui multarum disciplinarum principia sedulò fuerit meditatus , eademque apprimè calluerit . Hujus sanè generis argumentum est , quod tractandum in præsentia suscipio , de juribus Conjugiorum : nimurum in eo solida altissimæ Ethnices præcepta , quibus naturalis honestas investigatur , ac demonstratur , explicanda sunt ; deinde habenda perspicua notitia illorum , quæ in sacris Litteris tūm veteris , tūm novi Testamenti Deo auctore sunt edita , adjectis iis , quæ sancti Ecclesie Patres traditi divini verbi custodes docuerunt ; præterea juris civilis Romani , ac postremè ecclesiasticorum Canonum non ignorandæ sunt definitiones ; unde fiat , ut qui in hanc rem operam sit collaturus , & in naturali Philosophia , & in divinarum rerum sapientia valde profecerit , unā autem & juris utriusque prudentiam longo studio profiteatur . Reverà in primis naturæ jura diligenter , curioseque sunt investiganda , quando non de Christianorum tantum , qui legibus divinis , & ecclesiasticis subesse se palam gloriantur , nec de populorum tantum Romanæ Civitatis jure viventium , qui

legibus Quiritium subsunt; sed de universarum gentium nuptiis, agendum est. Quid enim, si Ethnici, Judæive conjuges vel uterque, vel corundem alteruter convertantur ad Christi fidem? Nonne & de illorum conjugiis apud nos judicandum est, quemadmodum suis temporibus judicavit Apostolus Paulus in epist. 1. ad Corinthios cap. 5., & alibi, ac recentioribus sæculis judicaverunt Gregorius II. inter ceteros Pontifices Maximos, Gregorius III., Zacharias, dum ad Bonifacium Episcopum & martyrem de causis conjugiorum emergentibus apud Germanos tūm primum fidem Christianam amplexos scripserunt, nec non Innocentius III. in cap. 7. & 8. de divortiis? Quid, si de dispensationibus, quibus alias irrita, injusta conjugia, fiant justa ac legitima, ab eo, ad quem pertinet, impetrandas agatur? Nonne in conspectu habenda erunt & naturalia, & divina jura, & secernenda eadem à positivis legibus; ut quando istis facilius derogatur, illa inconcusa maneat, quoque aliud non suadeat recta & divini, & naturalis juris interpretatio? Quod si ea multa saltem generatim commemorare, quaे à conjugiis pendent, qualia sunt, quid in matrimonii debetur Deo, & provido ejus vinculi, & clementissimo ejus Sacramenti institutori, quid posteritati, ac perpetuitati humani generis, quid parentibus, quid liberis, quid conjugibus invicem inter se, quid toti familiæ, quid societati universæ; mihi sānè videor multa, & magna complecti, in quibus multiplex qua publici, qua privati juris, qua sacrae, qua profanae disciplinæ peritia versatur. Consignandæ quoque sunt variae temporum nota; item habenda diversa locorum, provinciarumque ratio, vel ab ipsa primæ hominum propagine ad postremus usque, & seram æatem traducenda; quando aliud scimus observatum fuisse ab hominibus actus suos ad simplicem naturæ legem exigentibus, aliud electo Iudæorum populo singularibus præceptis, instituto à Deo mandatum; aliud in Evangelio nobis indicatum; multa denique his adjecta aut legibus publicis populorum, aut legibus sanctissimis Ecclesiærum. Duo exinde veluti consecrata profiscuntur. Primum est, tractationem istam variarum disciplinarum cultoribus, utut longè dissimilia in genere suo sint illorum studia, habendam esse communem, & ad eam Philosophos æquè ac Theologos, juris Cæsarei, æquè ac Canonum ecclesiasticorum Interpretæ, juris publici æquè ac privati peritos posse accedere iure suo: alterum, quod à priore parum distat, eò pertinet, ut ego, licet ecclesiasticorum Canonum disciplinam promunere meo profitear, non potuerim tantum, sed debuerim plura ex aliis disciplinis, præsertim ex juris Romani, vel cuiusvis alterius in

in Romani vicem aliquando suffici sanctionibus derivare. Cum enim & ipsi Canonum auctores disciplinam conjugiorum in pluribus inventerint jamdiu firmatam sapientissimis populorum cultiorum legibus, propterea quod frustra in rebus optimè constitutis nova studia, labores, vigiliasque impendissent, viam idcirco indicaverunt mihi, qua ad leges illas identidem respicerem, quarum sequi prudentiam ita in hac parte, sicut in aliis pluribus dēsignati non sunt, cap. 1. de novi oper. nunciatione. Itaque libertissimè imitabor Sanctos ipsos Ecclesiæ Patres, qui in controversiis morum dirimendis saepissimè ad publica legum monumenta resperixerunt ipsi, & ad eadem res picienda alios exemplo suo gravissimo concirarunt, can. 7. & sequentibus dist. 10., & alibi passim; & quidem sine Jurisconsultorum invidia, qui dum norunt, regulas suas sacrī canonibus comprobari, eo vel maximè solida se jecisse principia gloriabantur. Imò & mihi propterea lètor, quod non injunctiæ exinde, fortè etiam non inelegantibus habendæ sint meæ istæ lucubrationes, quando multiplici decori ornata, & variis veluti coloribus picta prodire tractatio debet; in qua ita me gesturum præterea profiteor, ut omnia in hoc disserendi genere ceteroqui sui natura proclivi, periculo, ac lubrico, ad temperantiam, pudorem, decoram modestiam componam; gravissimo enim probro mihi ipse verterem, si cuiquam in hoc vel levem offenditionem me injecce deprehenderem, aut me posse injicere suspicatus, minime temperarem. Quam secuturus sim methodum, paucis exhibeo. Tribuitur tractatio in septem Dissertationes. Prima generalis erit, & ferè proœmii loco; siquidem explicabit conjugiorum naturam, proprietates, qualitates omnes, ipsam etiam dignitatem, unde aut hodie, aut aliquando, aut apud nos, aut apud alias non omnino incultas gentes jura conjugiorum constituta sunt, atque firmata. In posterioribus ad ipsam conjugiorum celebrationem, quæ potissimum apud nos in facto consistit, expendendam accedam; quamobrem in secunda, & tertia agam de iis, quæ matrimonium anteire solent, non quidem aut de dotis constitutione, aut de donatione propter nuptias; quamquam enim de his mentio fiat in cap. 6. in fine de donatione inter vir. & uxor., hæc tamen argumenta potius civilis juris Interpretibus relinquenda putavi; sed de sponsalibus primum, deinde de denunciationibus. In quarta designabo personas ad contrahendum conjugium idoneas; atque in quinta formam, ac solemnitates conjugii contrahendi. In sexta indicabo legitimos quosdam celebrati conjugii effectus. Denique in postrema disseram de variis modis, aut causis, quibus legitima semel contracta connubia dissolvantur. Interea vero non prætermittam nonnullas quæstiones

P R A E F A T I O.

nes singulis Dissertationibus subjectas adsuere; earum enim diremptione, quæ generatim tradita erunt, adjectis ita, effusisque luminibus clarius explicatum iri arbitrabor. Evidem nemo non videt, me in concinndo hujus tractationis ordine non secutum fuisse eandem omnino rationem, quam in cœteris juris ecclesiastici partibus exornandis mihi proposui. At satius duxi, perspicuitati rerum consulere, quam perpetuò me mihiem ipsi similem exhibere, etiam tunc, cum materies singularem methodum postularet. Porro quæ digerenda in præsentia sunt, ita in conspectum meum adducuntur, ut extendi, proponi, explicari paulo alter debeat. De hoc proposito benevolum Lectorem, ut judicet, rogo, postquam universa in hoc libello descripta sedulò perlegerit, & apprimè, uti decet, perpendatur; neque enim dubito, quin is, si non cetera, methodum ipsam saltem, ut singularem, veluti maximè opportunam, minimè sit improbaturus.



DIS-

DISSERTATIO PRIMA
DE CONJUGIORUM NATURA
ET DIGNITATE;

ITEM PROPRIETATIBUS AC QUALITATIBUS

UNIVERSIS.

MARIS, & foeminae conjunctionem ad perennem, & ferè immortalem propagationem generis ordinatam, hominibus quidem esse cum brutis quibuscumque communem, naturali ratione intelligimus. Quoties verò consideremus, in eadem conjugione naturam in brutis nihil aliud postulare, quam factum, & educationem, in hominibus autem excellenter quædam officia constituisse, quibus & magis magisque firmaretur societas inter ipsos, & ad Deum supremum omnium Conditorem in procreanda æquè, ac tuenda sobole susciperetur; facile colligitur, singulares hominibus regulariter esse vel ab ipsis naturæ institutionibus custodiendas. Verum, licet in definiendis generalibus naturæ præceptis in unam facile sententiam conveniamus omnes, atque, ut exemplum proferam, fateamur sponte, & sine discrimine, servandam esse in conjugiis honestatem; in iis tamen, que veluti consecraria ex generalibus deducuntur, non perpetua, & constantissima semper fuit gentium omnium, ne illarum quidem, qua cultiores habentur, sententia. Incredibile proponendum dictu est, quam varia fuerit pro locorum, ac temporum varietate disciplina conjugiorum inducta; unde sèpissimè contigit, ut inhonestæ, ac turpis, ac ne conjugi quidem nomine digna, apud aliquos ea conjunctio haberetur, qua

apud alios decora videretur, & honestissima. Infinitus proponendum esset, si varios gentium mores in hac re inducitos in præsentia recenserem. Multa paucis præstrinxit Alexander ab Alexandro in lib. 1. Genial. dier. cap. 24. inter qua lego, veteres Ægyptios, Persas, Epirotas, & Macedones sororum amoribus, conjugiisque passim fuisse implicatos; imò & Persas ipsos, Arabas, Mauros, nonnullosque ex Indiis cum suis etiam parentibus coivisse, quo spectare videtur, quod scribebat Ovidius lib. 1. Metamorph. de quibusdam Provinciis, in quibus & nata genitrix, & nata parenti jungitur, & pectora geminata amore; præterea apud Romanos Julianus Cæsarem decrevisse, ut quot quisque vellet, uxores duceret; & sub Valentiniiano Cæsare lata lege publica invaluisse, ut duas uxores ducere licet, quemadmodum etiam testatur Nicerophon Callixtus in lib. 11. histor. Ecclesiast. cap. 33., quod & apud Athenienses olim in usu fuisse fertur; quodque vix veri speciem habet, apud Lymnitinos populos, filios ex promiscuis conjugiis editos in unum cogi singulis quinquenniis consueuisse, ut quem quisque sibi similem oris habitu habuisset, eum pro filio educaret. Hæc sane omnia, quemadmodum alia benè multa, quæ ibidem commemorantur, boni omnes pudenda admundum, & turpia illicè judicabant. Adodo, Tertianum in Apologetico retulit-